

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Quaestio exegetica: « Filius hominis, — « Filius Dei, ...
De pugna inter veritatem et errorem in rebus theologicis epistles.
Stili lapidarii elementa. — De epitaphiis — De inscriptionibus historicis.
De Saadio Persico poeta.
Saadii Persici poetae fabulae. — I. Lynx Persica. — II. Tapetum et vexillum militare, — III. Magnificentia sepulcri res inanis. — IV. Vulpis fugiens.
Ex Italis urbis. Antonio Manno historico tributi honores.
Paroemiae sive Adagia. Equis albis procedere.

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. — Ex Congregatione Rituum. — Ex Commissione Pontificia de Re Biblica.
Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissions. — Pontificiae electiones. — Vita functi viri clariores.
Annales: Mauritanae res. — Balkanicum discriminem. — Ex Lusitania. Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Librorum recensio - (F. X. Reuss).
Aenigmata.
Appendix: Euplius.

QUAESTIO EXEGETICA:

“ FILIUS HOMINIS , , - “ FILIUS DEI , ,

Dum neque in S. Pauli Epistolis, neque in ceteris Novi Testamenti scriptis, *Actibus Apostolorum* exceptis, ubi (VII, 55) legitur: « Eece! video caelos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei », nunquam expressio « Filius hominis » invenitur, in praedicatione Christi qualis ab Evangelistis refertur, Iesus Christus innumeris vicibus « Filium hominis » sese nominat. Quandoque expressio « Filius hominis » ad vitam terrestrem Iesu Christi relationem includit: (MARC. II, 10) « Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata » ; (MATTH. VIII, 20) « Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet » ; (LUC. XIX, 10) « Venit enim Filius hominis quaerere, et salvum facere quod perierat ». Quandoque expressio « Filius hominis » ad passionem mortemque Iesu Christi relationem includit: (MARC. VIII, 31) « Et coepit docere eos quoniam oportet Filium hominis pati multa ... et occidi » ; (MARC. IX, 30) « Quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, et occident eum » ; (MARC. XIV, 21) « Et Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de eo ». Quandoque expressio « Filius hominis » ad Iesu Christi parusiam relationem includit: (MATTH. XXIV, 30) « Et tunc parebit signum Filii hominis in caelo: et tunc plangent omnes tribus terrae: et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa, et maiestate ». Quandoque expressio « Filius hominis ad regnum Dei relationem includit: (MATTH. XVI, 28) « Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo ».

Propterea quaestio valde complexa, atque pro « Critica » quasi aenigmatica (1) oritur, quaenam videlicet

significatio expressioni « Filius hominis » a Christo adhibite insit. Hoc opus, hic labor noster est.

* * *

In Veteri Testamento, sub expressione « Filius hominis » modus quidam poeticus « hominem » indicandi latet: (Is. II, 12) « Quis tu, ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi foenum, ita arescit? »; IEREM. (XLIX, 18) « Sieut subversa est Sodoma, et Gomorha, et vicinae eius, ait Dominus; non habitabit ibi vir, et non incolet eam filius hominis »; (PSAL. VIII, 5) « Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? » Propter Danielis verba (VIII, 15-17): « Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur visio », existimant quidam, expressionem « Filium hominis » id ipsum ac « prophetam » significare, dum alii in recensito testimonio, non nisi dignitatem, humilitatemque prophetae coram Deo stantis vident.

Iuxta Novi Testamenti exegetas, expressio « Filius hominis » in Novo Testamento multiplicem praefert significationem. Iuxta quosdam, quem expressio illa neque penes Apostolos neque S. S. Patres inveniatur, Christum nunquam tali modo se nominasse retinendum est. Vox illa « Filius hominis » a Danielis verbis (VII, 13): « Aspiciebam ergo in visione noctis et ecce! cum nubibus caeli quasi filius hominis veniebat » originem dicit. (1)

(1) En quid contra affirmationem hanc Revinus BATIFFOL (*L'enseignement de Jésus*, VI in nota) scribit: « Nous nous séparons aussi du R. P. Rose (« Études sur les Évangiles, p. 169-182 ») qui, après Holtzmann et Dalman entre autres, cherche l'origine du titre « fils de l'homme » dans Daniel (VII, 13). Jésus aurait pris ce titre pour caractériser son œuvre de fondateur du royaume de Dieu, en se reportant à la vision de Daniel où le fondateur du royaume des saints est nommé fils de l'homme. En rigueur, le passage de Daniel favorise plutôt l'idée du Messie inaugurant le royaume eschatologique, et nous retombons ainsi, dans le messianisme le plus juif. Mais la difficulté radicale, elle a été faite par M. Driver entre autres, consiste en ceci que l'être qui est « comme un fils d'homme » (DANIEL, VII, 13) est un être purement symbolique, mais symbolique de gloire et de victoire, et qu'il n'est pas possible d'identifier avec le serviteur souffrant et crucifié que Jésus désigne sous le titre de « fils de l'homme ».

Nonnisi postea in Evangelium introducta fuit, atque personali pronomini « Ego » substituta.

Pro quibusdam aliis, Christus voce « Filius hominis » utens, naturam sensibilem atque visibilem qua indutus erat, indicare voluit, vel significavit se « esse hominem idealem » vel « esse judicem » vel « caput et fundatorem regni caelorum » vel « servum humilem ac subiectum »; denique nonnulli existimant, expressionem « Filius hominis » idem valere ac Messiam, et Christum tali modo se nominasse, propter regnum Dei, cuius fundatio praecipuum vitae Christi opus fuit. (1)

Afferamus tres ex praecipuis sententiis earumdemque argumenta.

In prima sententia, expressio « Filius hominis » servum humilem ac subiectum designat, atque cum idea servitutis, paupertatis, humilitatis, laboris, neconon passionis et mortis connexa est. Cum idea « servitutis et humilitatis »: (MARC. X, 45) « Nam et Filius hominis non venit ut ministraret ei, sed ut ministraret »; cum idea « paupertatis »: (MATTH. VIII, 20) « Dicit ei Iesus: Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet ». Cum idea « laboris »: (MATTH. XIII, 37) « Qui respondens ait illis: Qui seminat bonum semen, est Filius hominis »; (LUC. XIX, 10) « Venit enim Filius hominis querere, et salvum facere quod perierat ». Cum idea « passionis »: (MARC. VIII, 31) « Et coepit docere eos quoniam oportet Filium hominis pati multa »; (MARC. X, 33-34) « Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, et Scribis, et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus. Et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum ». Ex hisce textibus « Filius hominis » nonnisi « servus » in humilitatis ac subiectionis statu appetet. (2)

In secunda sententia asseritur, expressionem « Filium hominis » neque unicam neque determinatam, neque immobilem significationem, sed variam multipli- cemque significationem praebere. Expressio enim « Filius hominis » in semetipsa inspecta, determinatam et unicam significationem non possidet, sensumque determinatum et unicum eiusdem nonnisi a circumstantiis neconon a momentis in quibus a Iesu Christi adhibetur dependet. Rursus, varietate hac et multiplicitate huiusmodi significationis asserta, sententiae omnes exegetarum ac SS. Patrum conciliantur. (3)

In tertia sententia existimatur expressionem « Filium hominis » idem ac Messiam valere, et Christum Iesum tali modo se nominasse, propter regnum Dei, cuius fundatio opus vitae Christi praecipuum fuit. Hoc appetet:

(1) Cfr. *Revue Biblique* 1906, « L'avènement du Fils de l'Homme ». Ibi legitur: « Le Fils de l'homme, signifie d'abord le royaume des Saints du Très-Haut, et en même temps son fondateur, le Messie ».

(2) Cfr. BATIFOL, I. c.

(3) Cfr. P. MARIANO SARDI, *Il Figlio dell'Uomo*.

a) ex munib[us] quae per Evangelia « Filio hominis » tribuuntur, quaeque nonnisi Messiae convenire possunt. Ita MATTH. (xxvi, 45) « Filius hominis tradetur in manus peccatorum »; MARC. (II, 10,28) « Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem, in terra dimittendi peccata, itaque Dominus est Filius hominis etiam Sab- batii »; LUC. (IX, 22) « Oportet Filium hominis multa pati, et reprobari a Senioribus, et principibus Sacer- dotum, et Scribis, et occidi, et tertia die resurgere »; LUC. (XIX, 10) « Venit enim Filius hominis quaerere et salvum facere, quod perierat ».

b) Ex verbis Iesu Christi. - MATTH. (XXVI, 63-64) « Princeps Sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum vivum! ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei. Dicit illi Iesus: Tu dixisti! verumtamen dico vobis: Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli »; LUC. (XXII, 66, 67, 69, 71) « Si tu es Christus, dic nobis! Et ait illis: Si vobis dixeris, non credetis mihi... Ex hoc au- tem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis quia ego sum! At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimoniū? ipsi enim audivimus de ore eius ».

In harum sententiarum conflictu, Theologi innixi patrum auctoritate (1) generatim expressionem « Filiūm hominis » accipiunt prouti oppositionem facit ad expres- sionem « Filium Dei ». Et quemadmodum expressio « Filius Dei » importat in Christo veram naturam di- vinam, ita expressio « Filius hominis » importat veram naturam humanam; ambae dogmati de duabus naturis in Christo fundamentum praebent. Christus enim est « Filius hominis » quia ex homine Adam secundum na- turam humanam carnem assumpsit, quamvis virtute supernaturali conceptus; est « Filius Dei » quia ex Deo natus est.

Iesus Christus vocavit se « Filius hominis » simul- que « Filium Dei ». - MATTH. (XIV, 33; XVI, 16) « Ad- oraverunt eum, dicentes: Vere Filius Dei est ». Re- spondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi! »; LUC. (IV, 3; IV, 41) « Dixit autem illi dia- bolus: Si Filius Dei es, die lapidi huie, ut panis fiat... Exibant autem daemonia a multis, clamantia et dicentia: Quia tu es Filius Dei ». Quaenam igitur est significatio quae sub expressione « Filius Dei » latet? Summa varietas in opinando penes exegetas.

Christus, inquit Renan, (2) dicitur « Filius Dei » non secus ac omnes homines « Filii Dei » sunt, vel esse possunt, iuxta S. Matthaeum (V, 9): « Beati pacifici!

(1) Cfr. *Revue Biblique* Avril 1908, p. 280. Ibi de hac sententia contra Dr. Tillmann legitur: « C'est un critique libéral de premier rang, M. Holtzmann, qui reconnaît que ces textes (F. H.) surtout d'après saint Matthieu, posent les bases du dogme de deux natures; et puisque cette interprétation est celle des Pères, il faut s'y tenir ».

(2) *Vie de Jésus* chap. XV.

quoniam *Filius Dei* vocabuntur». Nonne in Veteri Testamento multis divina tribuitur filiatio, quin aequales Deo inveniantur? - GEN. (VI, 7): « Videntes Filii Dei filios hominum ». IOB. (I, 6): « Quadam autem die cum venissent Filii Dei ». Iesus Christus, scribit A. Harnack (1), quare, quove sensu « *Filius Dei* » se nominavit, in sermone quodam significavit nobis; dum (MATTH. II) 27 ait: « Nemo novit *Filium nisi Pater*, neque Patrem quis novit, nisi *Filius*, et cui voluerit *Filius* revelare ». Sphaera (*die Sphäre*) Filiationis divinae, cognitio Dei est; ideoque conscientia qua Christus *Filium Dei* se esse putabat, consequentia practica cognitionis Dei Patris atque Patris sui est. Bene intellecta, cognitio Dei, in expressione « *Filius Dei* » continetur, modus vero quo Christus ad conscientiam huiusmodi sibi efformandam pervenit, mysterium quoddam est, cui libet scientiae psychologicae ininvestigabile ».

Plures textus, scribit Loisy (2), in Evangelii synopticis inveniri possunt, ex quibus titulus « *Filius Dei* » penes Iudeos, Salvatoris discipulos, Ipsumque Salvatorem titulo *Messiae* aequivalere appetet. (MARC. VIII, 29; MATTH. XVI, 16; LUC. IX, 20; MARC. XIV, 61; MATTH. XXVI, 63; LUC. XXII, 70). Christus, « *Filius Dei* » se dicit in ea mensura, qua Messiam se dicit; filiationisque divinae conceptus, regni Dei conceptui alligatus est; si quid respectu Iesu Christi significat, nonnisi ad regni Dei fundationem referendus est.

In formula « *Filius Dei* », asserunt alii (3), si ad Vetus, Novumque Testamentum respiciamus, tituli *Messiae* et *Filius Dei* aequivalentia in dubium verti nequit, *talis est Messias, talis est Filius Dei*. Propter vero adiuncta quibus huiusmodi filiatio Christi a Christo ipso enuntiatur, expressio « *Filius Dei* » consortium in eadem natura Patris importat; Christus enim non modo quemque « *Filius Dei* » vocatur, sed speciali modo, idest *Filius unicus*, haeres universorum, eadem iura, eamdemque potestatem Patris, necnon idem mundi gubernium possidens.

Cardinalis Capecelatro (4) sententia est, formulam « *Filius Dei* » Christo Iesu tributam, Divinitatem includere, ita ut significet: Christum esse verum Deum sicut per formulam « *Filius hominis* » significatur: Christum esse verum hominem. Sententiae huic adhaeremus propter modum quo Christo denominatio « *Filius Dei* » tribuitur, ac propter traditionis tum christianaum iudaicae auctoritatem.

a) Ex modo quo titulus « *Filius Dei* » Iesu Christo tribuitur. — Christus Iesus dicitur « *Filius Dei* » non sicut ceteri homines, sed modo speciali, idest « *Dei vivi, unigenitus, verus, verus Deus, proprius, primogenitus, haeres universorum* ». MATTH. (XVI, 16): « Simon Petrus dixit: Tu es Christus, *Filius Dei vivi* ». IOA. (III,

16): « Sic Deus dilexit mundum, ut *Filium suum unigenitum daret* ». I. IOA. (V, 20): « Et scimus, quoniam *Filius Dei* venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero *Filio eius*. Hic est verus Deus ». ROM. (VIII, 32); COLOSS. (I, 15); HEBR. (I, 2): « Qui etiam proprio *Filio suo* non pepercit,... Qui est primogenitus omnis creaturae... Diebus istis loquutus est nobis in *Filio*, quem constituit haeredem universorum per quem fecit et saecula ».

b) Ex auctoritate Traditionis tum christiana, tum iudaicae, significatio quae titulo « *Filius Dei* » subest, non ex philologia ad hoc insufficienti, diudicandum est. Traditio vero christiana titulum « *Filius Dei* » Christo tributum prouti consortium atque identitatem cum Patre et Spiritu Sancto includit, semper continuoque accepit. Non aliter traditio iudaica. Iudei enim verba Iesu Christi se dicentis « *Filius Dei* » prouti veram divinam naturam includunt, intellexerunt; quam ob causam rursus ad mortem Iesum Christum damnarunt. — IOA. (XIX, 7): « Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia *Filius Dei* se fecit ». MATTH. (XXVI, 63-65): « Et princeps Sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum vivum! ut dicas nobis, si tu es Christus *Filius Dei*. Dicit illi Iesus: Tu dixisti!... Tunc princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: blasphemavit! ».

* * *

Propter quae omnia, merito Pius X (*Syllabo suo*) damnavit propositionem trigesimam, quae sonat: « In omnibus textibus evangelicis nomen *Filius Dei* aequivalet tantum nomini *Messias*, minime vero significat Christum esse verum et naturale Dei *Filium* ». (1)

Friburgi Helvetiorum.

P. REGINALDUS M. FEI O. P.

(1) Propositio desumpta fuit a LOISY (*L'Évangile et l'Église*, 76). « L'on trouverait sans peine dans les Évangiles plus d'un passage d'où résulte que le titre de *Fils de Dieu* était pour les Juifs, pour les disciples, et pour le Sauveur même, l'équivalent de *Messie* ». Cfr. *Simples réflexions XXX.*

DE PUGNA inter veritatem et errorem in rebus theologicis

EPISTOLA (1)

III.

« Si quidquam novi, peream! Rabbinica verba,
 « Sic nostrum memini quondam mihi dicere Pappum,
 « Congeries rerum rudis indigestaque! Crudum
 « Si quid edas stomacho, solventia pharmaca sorbes;
 « Talibus at quaenam valide medicina paretur?

(1) Cfr. num. sup.

(1) *Das Wesen d. Christentums*, p. 81.

(2) « *L'Évangile et l'Église* » III, *le fils de Dieu*, I, p. 76.

(3) Cfr. BATIFFOL *Enseignement de Jésus*: VI, — *Revue Biblique*, 1907, Oct. p. 551.

(4) *Errori del Renan nella vita di Gesù*, c. XIII.

« Laudarie volunt! et ne sim laudis avarus
 « Annuo, Crispini vafros imitatus alumnos,
 « Qui cum non ferrent fatui male clara magistri,
 « Atque illum frustra verbis superaddere verba,
 « Certatim unanimes dicenti plaudere. Laetus
 « Dimisit doctor iuvenes, et talia secum
 « Excedens, alios docui quae nosco nec ipse!
 « Sic ego si cesserent nebulosa effundere dicta.
 « Lux sequitur verum, tenebrisque involvitur error ».

Res valde obscuras exemplo clarius audi.

Natura et sophia in Christo nil iure capessunt
 Ultra hominem: delenda igitur queis ante putatus
 Numen ab aeterno genitum; removenda proinde
 Credulitas quae vana dedit, quae plurima gessit
 Prodigia, et quaecumque aevoque loeoque repugnant,
 Moribus atque obstant eius populique coaevi.
 Irrumpit tunc corde Fides quam diximus ortam,
 Et iam nudatum donis caelestibus ornat,
 Progenies ut vera Dei, Deus atque putetur.
 « Quid? Christus duplex - instabat Pappus ad ista -
 « Inspice et agnosces: alter male sanus homullus,
 « Qui officium sibi commissum sero et male novit,
 « Ut docet historia; atque insignis dotibus alter,
 « Portentis mirus, venerabilis ipse Deusque,
 « Ut monet interior sensus. Quis talia credat?
 « Aut toleret patiens? Dure gens furfuris huius
 « Tractanda, atque acri a cunctis sermone premenda;
 « In Christum credis? - Credo. - Cur? - Me cor ad istud
 « Urget. - At hoc ultra? - Nihilum. - Quid denique

[Christus ?

« Re nihil ultra hominem: mihi nam quid credere sensu
 « Interiore iuvat quod re contemnere cogor?
 « Aut perii ratio, sunt ista aut consona rebus,
 « Olim quas docuit nebulosus Kantius. At si
 « De Christo haec fatue, quid de mage mente remotis,
 « De Triade augusta atque una, Christoque per orbem
 « Sub specie panis vivo? quid sensus ad ista?
 « Numquid in ignotum se fert humana voluntas? »

Optima, sed praestat sermonem absolvere nostrum.
 Quo iure historiam contracto claudere sulco.
 Audacter tentant, prorsusque expungere ab illa
 Figmentis quodcumque suis non convenit? Atqui haec
 Latius extendens fines, sibi vindicat omne
 Revera gestum, seu res evenerit intra
 Naturae vires, seu prodigialiter ultra.
 « Tam recta ut nequeant ulla ratione revelli, -
 Aerius hic noster permiscens aspera nugis,
 « Sed genus amphibium speras ratione tenere?

« Piscator quidam lustrans de more paludem
 « Ut caperet pisces, urget namque ardor edendi,
 « Miram pro pisce anguillam detraxit ab undis.
 « Insueta exsultans praeda, iam gaudia mensae
 « Praegustat, captamque tenet; sed protinus illa
 « Lubrica se solvit vinclis, stagnaque refugit.
 « Quae praedae utilitas? Longe spectare natantem,
 « Et gemere incassum vacui ieunia ventris.
 « Tu valide pugnas, permulta et congeris apte,
 « Sed dum iure putas hostem constringere captum,
 « Is verba invertens, alios trahit illico sensus
 « Forcipe distortos; quae res non ardua, namque
 « Illorum quisquis, ventoso inflatior utre,
 « Dum sublime petit, nubes et inania captat;
 « Haee ego non dixi; nescis mea pendere dicta,
 » Talia Iansenius fallendi callidus arte.
 « Hanc aiunt iniisse viam frangantur ut illi
 « Qui supera abiiciunt, atque illos iure refellant
 « Qui ob cultum Fidei naturae iuribus obstant.
 « Antiquas nosco vulpes sub pellibus agni.
 « Cur non candidius meliusque ut plurima dudum
 » Abiecta in scrutisrenovent, figmenta serentes
 « Multa per ambages, peregrinæ et praedita luxu
 « Doctrinae ut stultos capiant? Sed ponere larvam
 « Fucatam iam tempus adest, clareque fateri
 « Se nullam sibi velle Fidem ratione magistra.
 « Plaudite buccones, nebulones, en sonat illud
 « Quod Bayles olim malefida voce rudebat:
 « Porta patens esto; nulli claudatur honesto.
 « Religio quaecumque siet Brahamae, Mahometi,
 « Confucii, Budhae pariterque ac iure probanda.
 « Hoc caput, haec summa est rerum, mihi crede, no-

[varum :

« Non foret ipse Deus, Fichtes ni forte creasset. »
 Haec ait atque ira buccas inflavit utrasque,
 Dicturus plura, exceedens ni terga dedissem.
 Quis non ista probet, duris licet edita verbis?
 Quid namque his melius? Si stirpes caedere summas
 Sic olim nocuit, crudele ut nunc quoque vulnus
 Aceriter indoleat, steterint licet integra multa,
 Quid modo qui exercent ima ab radice securim?
 Omnia pessum dant, sanique haud permanet hilum.

IV.

Vere inter densas cautes et inhospita tescua
 Durum iter arripui: me ignarum obscura fefellit
 Rerum colluvies? Sapiens me vera docebis.

Quare non ultra incedam re firmus in ista
 Quam iactant non esse Fidem, quae caelitus orta
 Nos superis auget meritis. Ut parturit arbor
 Quaeque suos fructus, proprios sic elicit actus
 Natura, adscriptos impar transcendere fines.
 Horum igitur larvata Fides cum corde oriatur
 Quis neget angusto naturae in limite claudi?
 Non istam; sed iure Fidei nos quaerimus illam,
 Caelesti quae voce oritur, documenque supernum
 Pandit et assensum mentis sibi vindicat. - Aiunt:
 « Non ego sum mundi civis? quae denique causa
 « Cogit ut invitus menti non pervia secter?
 « Nil statuit Christus nostro cum viveret orbe;
 « Quaeque sua a saeclis circum praeepta feruntur,
 « Paullatim exorta et placitis accepta bonorum.
 « Omnia si debent meliorem tangere metam,
 « Cur immota manens, legi se subtrahet isti
 « Unica Religio rebus sophiaeque rebellis? »
 Nil statuit Christus? Sed quis nova dogmata regni
 Ultra naturam posuit sortemque creatam?
 Cur unus Petrus bis seno ex agmine princeps
 Lectus, dux ovium, caelestis claviger axis?
 Munere cur fungens primis in caetibus ipse
 Praefuit, atque omnes eius paruere loquela?
 Nil eius socii scriptis docuere, nec ordo
 Patrum, qui unanimes doctrinae haesere vetustae?
 Non secus atque arbor, commisso semine terrae,
 Germinat, extendit ramos, dat tempore fructus,
 Sic praeter quae firma forent fundamina regni
 Immissum semen variis tunc fructibus uber
 Cum vellent rerumque vices et mobilis aetas.
 Hinc alia invenies sensim mutata per annos,
 Atque alia haud ullis vicibus subiecta nec aevo.
 « Expertem erroris romana in sede locatum
 « Saltem quis credat, sophiae cum lumine ducta,
 « Mens sibi sufficiat? » - Naturae si foret uni,
 Et tumulo servatus homo, tua cuncta probarem;
 Sed cum sit caeli superas addictus ad oras,
 Quid si quae nostram superent mysteria mentem, et
 Sit datus haud errans caelesti munere iudex?
 Ast audi et ride. Celebratum iure magistrum
 Discendi cupidus quaeris; tentatus acerbo
 Morbo praeclarum medicum. Cur? - Absit ut error,
 Et sis vel sapiens, aegro vel corpore sanus.
 At fugis errorem si parvis non male cautus,
 Cur non hunc pariter morem secteris in illis,
 Quae meliora hominis spectant, vitamque futuram?

To t nigra errores inter caligine mersos
 Quae mentes novitate tenent, iuvenumque superba
 Pectora pelliciunt, quae nobis tuta sequenda
 Semita? Quo propius fonti devolvitur amnis,
 Hoc mage candidior; veterum sententia patrum
 Purior hoc longe, Christo quo proxima. Quare
 Traditio quaecumque docet veneranda tenendum,
 Quae prius a Christo lectisque sodalibus orta,
 Tradita mox populis in scriptis pene coaevis,
 Huc venere tenus; quae si mendacia, nemo
 Cur, saltem invidia male visae Religionis,
 Detexit fraudes Christi ex aetate superstes?
 Omnes compositi? sed rerum lumine solis
 Gestarum rumor late compleverat orbem.
 Curet Aquinatis quisquis documenta tenere,
 Cuius lux tantum, tantum penetravit acumen,
 Ut vix mortali videatur stirpe creatus,
 Quem bene si noscas, magno correptus amore,
 Res alias cernes aliis clarescere rebus.
 Non error te decipiet, non caeca tenebris
 Nox fallet. Te subde PIO cui talia Christus:
 « Confirma fratres, sacrae via tuta salutis
 « His per te pateat», primos atque effuge lapsus,
 Ne in graviora ruens, praeceps volvaris ad imum,
 Et valle extrema, fracta cervice, recumbas.
 At satis haec leviter lusisse in cortice rerum:
 Te hue ubi contuleris, plura et magis intima voce.
 Non desit Pappus, festivae gaudia mensae,
 Ut bene tu nosti. Pingues vos igne voluti
 Expectant turdi, quos salvia reddet olentes,
 Et teneros immixtus adeps: duo iure palumbes
 Innabunt lento: dulci lepus inde sapore
 Aerique exacuet ventrem. Non mitia poma,
 Non deerunt uvae, validi nec pocula vini,
 Qualia Pappus amat nugis cum laxat habenas:
 Coenula Luculli non contemnenda palato.

Auximi.

P. RECANATESI.

*Quibus de rei summa periculum imminet, stultum est
 alia curare.*

PROCOP., *de bello Vandal.*, I.

*Vir est, qui contra biformes fortunae eventus uniformi
 mentis constantia militat praemunitus.*

CICERO.

*Frustra exteriores inimicos vincimus, si interioribus par-
 cimus.*

S. GREG., *Moral.*

Stili lapidarii elementa⁽¹⁾

III. — DE EPITAPHIIS.

Exempla dictionis simplicis:

D. M. S. SENTIVS
Q. SENTIVS
M A R T I A N V S
PIVS . VIXIT . ANNIS
XLVIII . MEN . IIII
DIEBVS . XIII
H. S. E. O. T. B. Q.

Hoc est; hic situs est; ossa tua bene quiescant.

D . M .
L . COMINIO . SABINO
PATRONO . OPTIMO
FECERVNT
LIBERTI . ET . LIBERTAE
B . M

QVI . VIXIT . ANN . P . M . LXXX

B. M. Bene Merenti. — — P. M. Plus Minus. — Quum diem natalem, vel quo Cominius obierat, ignorarent, nec de more annos, menses, dies possent adscribere, adscriperunt: Plus Minus Octoginta.

D . M
P A S S E R I
RET .
AELIA . CONIVX
B E N E . M E R E N T I

Ret = Retiario, quod erat Gladiatorum genus. Sic autem dicti sunt, quod retia gestarent; nam arma eorum rete, et fuscina quibus piscatorum quemdam in morem contra Mirmillones pugnabant. Mirmillones autem dicti sunt quod in galea piscis effigiem haberent, cui nomen MIPMIPO; et dicti etiam Galli, nam Gallica armatura utebantur, unde Retarius aiebat: «Non te peto, pisces peto: quo me fugis, Galle? »

Exemplum dictionis ornatae:

GENIO
COETI . HERODIANI
PRAEVSTATOR.
DIVI . AVGVSTI
IDEM . POSTEA . VILICVS . IN
HORTIS . SALLVSTIANIS
DECESSIT . NONIS . AVGVSTIS
M . COCCEIO . NERVA
C . VIBIO . RVFINO . COS.
IVLIA . PRIMA . PATRONO . SUO

Verisimile est hic Genium Herodiani pro ipsis anima positum esse. *Praegustator*, idem Praegustatoris. Servis habere praegustatores, qui cibum potumque gustu explorarent Persae primum, et Graeci instituerunt, quo sibi a veneno caverent. Inter Romanos fortasse primus Antonius Triumvir praegustatore usus est.

Exempla dictionis singularis:

D . M .
BENE . OSSIBVS

CINERIBVS . Q VE

Q . CANINI
M A R T I A L I S
CANINIVS
EVTYCHES
FRATRI
B . M.
—
D . M.
SVLPITIO
NOTO
ADESTE
SVPERI
—

DECRETO . DECVRION.

LOCVS . SEPVLTVRAE

PVBLICE . DATVS

L . AVFIDIO . L . F . HOR . MONTAN.
COMITI . C . CALVISI . SABINI

Comites eo tempore appellabantur custodes Adolescentium.

IV. — DE INSCRIPTIONIBUS HISTORICIS.

Multa ex historicis perdepta compensare quodam modo videntur inscriptiones illae, quas historicas appellamus, quae nec a Religione, nec ab honoribus nomen habere possunt, sed ad posterum maxime cognitionem praepositae subiectas res historiae more produnt.

Exempla dictionis simplicis:

SENATVS
POPVLVS . Q VE
ROMANVS
CLIVOM
MARTIS
PECVNIA . PVBLICA
IN . PLANITIAM
REDIGENDVM
CVRAVIT

Clivom vox antiqua pro clivum — Clivus Martis extra Portam Capenam fuit ad dexteram, ubi et lapis cum hoc titulo inventus *A Porta Capena incipiebat Via Appia*. — Planitiam scribit et Caesar, et Vitruvius pro planitiem.

P . LENTVLVS . CN . F . SCIPIO
T . QVINCTIVS . CRISPINVS . VALERIANVS . COS
EX . S . C.
FACIVNDVM . CVRAVERE . IIDEMQVE
COMPROBAVERE

Pertinebat ad Magistratus de iis cognoscere quae Redemptoribus facienda locassent, ac, si quae receperant, praestitissent, comprobare: id autem in eorum gratiam adscribebatur actum esse; ne si opus vitium faceret, id redemptorum periculo esse videretur.

Exempla dictionis ornatae:

IMP . CAESAR . DIVI . F . AVG.
PARENTS . COLONIAE . MVRVM

(1) Cfr. num. sup.

ET . TVRRES . DEDIT
 S . IVLIVS . OPTATVS . TVRRES . VETVSTATE
 CONSYMPTAS . IMPENSA . SUA . RESTITVIT
 Colonia hic inscripta Maffeo est Iadera. Primos qui-
 dem tres versus Augusti iussu ingenti illi marmori
 inscriptos fuisse putamus. Quartum vero, et quintum
 minutiioribus literis tum adiectos quum Optatus turres
 refecit.
 IMP . CAESAR . DIVI . HADRIANI . F.
 DIVI . TRAIANI.
 PARTHICI . NEPOS . DIVI . NERVAE , PRONEP.
 T . AELIVS . HADRIAN . ANTON . AVG.
 PIVS . PONT . MAX.
 TRIB . POT . II . COS . II . DESIGNAT . III . P . P.
 OPVS . PILARVM . VI . MARIS . COLLAPSVM
 A . DIVO . PATRE . SVO . PROMISSVM
 RESTITVIT

Exstat haec Puteolis prope portam, qua itur Nea-
 polim.

Exemplum dictionis singularis :

IMP . CAES . DIVI . TRAIANI
 PARTHICI . F . DIVI . NERVAE . NEP.
 TRAIAN . HADRIAN . AVG . PONT.
 MAXIMO . TRIB . POT . XVI . COS . II . P . P.
 AQVA . INDVCTA . COLON . DACIC . SARMIZ.
 PER . CNEVM . PAPIRIVM . AELIANVM.
 LEGAT . EIVS
 PR . PR.

Coloniae Dacicae Sarmizegetusae, quae Urbs sita erat
 ad flumen Sargetiam in Dacia, olim Decebali Regia,
 deinde Traiani Colonia.

(*Ad proximum numerum.*)

DE SAADIO PERSICO POETA⁽¹⁾

Saadius Sciranensis. Est autem Sciras (2) urbs in per-
 siciis nobilissima, ob nativas opes caelique clementiam
 incolis, convenis, praesertim autem mercatoribus, fre-

(1) Scriptum hoc ex postumis clarissimi viri FRANCISCI GUADAGNI, Ro-
 mani, eximii tum iuris tum litterarum cultoris, ultra nobis oblatum una
 cum aliquot Saadii carminibus in latinum ab ipso conversis, libenti animo
 editis, pro certo habentes id gratissimum sociis et lectoribus *Vox Urbis*
 commentator futurum.

(2) Quoties in Seirae nomen Gentius incidit, toties *Cyropolim* interpres
 usurpat. Ego in consultationem adhibito *Strabone*, lib. 11, *Geograph.*, ac
Stephano de Urb. et Pop. Gentii opinionem video maximis difficultatibus
 impediri. Accedit, quod Seirasenses de urbe sua a Cyro condita ne su-
 spicantur quidem. Excitatam dleunt anno ab Hegira LXXIV (vide quam a
 Cyri aetate distantem faciunt!) per *Muhamedem Kasemi filium*, quo tem-
 pore Babylonie Caliphis rerum in Perside potiri improviso terrore ar-
 morum contigit; Sciramque appellantam ferunt a nomine eius nepotis, co-
 gnomento *Sciras*, quae vox arabice *ventrem leonis* sonat. Fuit enim, ut
 mira corporis proceritate, ita etiam eximio artuum vigore ille adolescens.
 Haec habeo ex *Chardino* (*Voyages, en Perse tom. 3 pag. 146*), qui etiam
 addit, alios a *Chir*, alios a *Cherab* Scirae nomen ducere, quarum vocem
 prima *lac*, altera *vinum latine redditur*. Ager sane, qui Sciram circumiacet,
 ob fruticum herbarumque luxuriem alendis gregibus, ideoque et lacti sup-
 peditando est idoneus. Vitium quoque apprime est ferax, e quibus vinum
 maxima ac sumptuosae nobilitatis exprimitur.

quens. In ore Persarum saepissime carmen sonat, cuius
 sententia est, cunctis ubicumque sitis urbibus nomen
 urbium abrogandum fore, easque ad infimam usque sor-
 tem vicorum esse deprimendas, si illarum cum Scira
 contentio fiat. Tam ampla in urbe natus est Saadius
 anno ab *Hegira* DLXXI, qui incidit in annum Christianae
 suppurationis MCLXXV.

Hie regia in aula, quod claro parente ortum prodit,
 altus a puer, et a magni nominis doctore Scheabbed-
 dino institutus, quem adeo in litteris profecisset, neu-
 trum ut collocatae operae poeniteret, longe ab aula ac
 regno persico abductus est temporum asperitate. Nam
 barbari e regionibus ultra mare Caspium sitis in Per-
 sidem irrupere. Quare dum illos ingenita animo feritas,
 Persas vero in iras acuit iniuria, armis cuncta personare,
 et cadaveribus solum insterni. Quarum rerum quum
 hominem bene doctum eductumque pigeret, ad mitiora
 studia, infesto caedibus solo relicto, in longa se dedit
 itinera.

Sumpta igitur *Dervisorum* veste, qua quicunque
 amiciuntur sine probro de stipe vivunt, diu multumque
 peregrinatus est, nunc urbes visens ac colens, nunc
 vastas solitudines et hominibus inaccessas petens. Nam
 qui cuperet contemplationi vacare et in animum suum
 descendere, quique fortunas suas prostratas et obviam
 ubique nequitiam hominum indignaretur, illorum fre-
 quentiam atque congressum diu ferre non poterat, ma-
 larum artium, quibus sibi invicem insiduntur, non solum
 insolens, verum etiam impatiens.

Sunt qui hue illuc disurrentem Saadium Italianam
 etiam attigisse ferant (1), edoctumque latinas litteras
 Senecae scripta prae ceteris adamasse, delectatum for-
 tasse *dulcibus vitiis* (2) orationi eius adspersis, et per-
 petua gravitate doctrinae. Verum enimvero orientales
 praecipue regiones pervagatus est, et orientales plurimas
 linguas didicit, usque ad penitas earum origines ac pro-
 prietas. In illis per Orientem discursibus res accidit
 Saadio, quae scitu non iniucunda. Quum is aliquando
 nescio qua in urbe introisset ad balneum, *Tabrizius*,
 qui etiam in claris poetis tunc censebatur, prope illum
 lavit. Orto inter poetas sermone, prodidit Saadio Ta-
 brizius ortum se Tauris, vicissim vero Tabrizio Saadius
 se oriundum Scira. Quumque posito, ut in balneo, ca-
 pitis velo, calvam Saadius ostenderet (quod Sciracens-
 ibus comune est, qui crinium defluvio cuncti laborant)
 protinus in illum morbum iocari Tabrizius: arreptaque
 patera, extimamque et convexam illius partem ostendens,
 percontatus est Saadium, cur Sciracensium capita ima-
 ginem paterae illius referrent? Tunc Saadius, aliam in
 manus pateram sumens, digitoque extento, intimam et
 cavam illius partem ostendens, rogavit a Tabrizio, cur
 qui Tauris orti, capite essent vacuae illi paterae quam
 simillimo? Qui ioci, licet amariores, quam inter urbanos
 deceat, generosos poetarum animos non efferarunt, no-

(1) KAEMFERUS *Amoenit. Exoticar.* Fascicul. II. Relat. 7, § 3.

(2) QUINTILIAN. *Instit. Orat.* lib. X, 1.

minibusque invicem patefactis, maximo se in honore alter alterum habuerunt.

Sed haec ludiera, et exitu sane laeta. Gravis deinde Saadium invasit calamitas. Dum enim, ex indole sua, pertaesus hominum, saltuosa ac silvosa Palaestinae loca pererrat, seque tutum ab iniuria, quod in neminem iniurius esset, putat, dedit poenas confidentiae suae: captusque a Francis, qui eas regiones habebant, postquam, duce Gothonfrido Bullionaeo, bene res gesta contra Turcas est, vineulis constringitur, ac mittitur Tripolim. Ibi Saadius duro sub imperio ad urbem fossa munidam, ut vile servitium, terram fudit, egessit. Ita quod Musis italis facinus bene vertit, illisque Torquati Tassi epos peperit, dato in servitatem Saadio, persicas Musas moerore prostravit.

Poetae ab hac deinceps servitute levato in duriorem casus fuit. Nam quum evasisset vineula liberalitate hominis inter Haleppenses primarii, qui aurum pro capite illius dederat, recusare non potuit, quin hoc vicissim daret homini de se tam benemerito, ut cum illius filia connubium iniret. Etenim Haleppensis eum ab ingenii praestantia probatum optavit sibi non beneficio solum, sed etiam affinitate conciliari. Sed tantus erat in muliere fastus, garrulitas, et contumacia, tantusque angor Saadio, dum eiusmodi cum ingenio conflictaretur, plane ut constet hoc ei coniugium Francorum vinculis fuisse acerbius.

At enim ex ingratitudine etiam connubii laqueo evolavit, sive demortua uxore, sive reicta. Non enim in hoc habeo quid sequar. Hec unum ex eius scriptis comperio, tranquillatis rebus, eum in Persidem remigrasse, pluriusque a Persarum rege Abubekero fuisse habitum. Neque eo secius frequentiam hominum poeta fastidire, aut minus adamare ab illis remota latibula. Ac siquidem molesti homines intervenirent, solebat eos sine verbo dismittere, et loquacitatem incommodam tacitura obstinatione frangere. Ex illis recessibus prodit eius *Gulistanus*, quem a Saadio elicuit importunitas unius ex illis, quos capitali odio prosequebatur, interpellatoribus. Nam quum homo permolestus, per diuturnum licet silentium a Saadio reiectus, minime discessisset; tundendo atque odio denique effecit ut ab eo in colloquium admitteretur. Versati igitur simul sunt verba facientes, et amoeno in hortulo spatia fecerunt. E cuius areolis sibi rosas aliquot interpellator legit, quas in urbem referret. Tunc illum poeta monuit, nimium cito eiusmodi flores arescere, sed rosas esse alias, quibus haud tempus officiat; pracepta nimirum moribus regendis, vitaque a periculis arcendae idonea. Quorum praceptorum, abiectis statim ex horto rosis, quum se homo percupidum prodidisset, salubria huiusmodi monita Saadius coniecit in librum, eumque *Gulistanum* dixit, quae vox latine *Rosetum* sonat. Nempe titulum lucubrationi suae factum

voluit ex occasione moliendi operis sibi a rosis exorta, et a quadam praceptorum suorum cum illis floribus affinitate.

Hunc praeter librum, tum *Bostan*, sive *Pometum*, tum *Molamaat*, sive *Scintillas*, tum in alia argumenta edidit Saadius carmina plura, quorum tam iucunda est lectio, ut supremi Orientis reges et proximi regibus proceres iis ad punctum temporis carere non possint, eosque in sinu gerant aureis descriptos litteris, et apictis iconibus exornatus (1).

Natura fuit Saadius tristi atque recondita. Sed quoniam vergentia nimis unam in partem, nisi bruta sint et inanima, in aliam plerumque reflectuntur, idecireo fiebat ut ille aliquando iocis animum solveret. Decessit Saadius maximo natu. Sunt enim qui ad annum vicesimum et centesimum vitam protractasse narrent. Alii non ita multis annis saeculum dicunt esse transgressum. Omnes tamen ei vivacitatem saeculo maiorem tribuunt. Nec pompa sepulcri caruit, illam quamvis poeta despiceret. Scirae mons imminet, quem Persae montem vestigiorum prophetae sua lingua vocant. Impressa putant ab Elia, cui mira religione persicum nomen obstringitur (2). Ibi conditur Saadius: sepulcroque adiacet hortus, piscosis aquis irriguus, in quibus porrecta saepe a convenis esca saginati pisces tuto ac beatissime per homines quidem Persas degunt. Captare enim, aut quavis ratione laedere innantes lacum Saadio attributum, id illi nefas esse arbitrantur, eorumque piscium in violatores, ut sacrilegii compertos, poenas asperimas statuant (3).

(1) Haec de honore, in quo apud reges ac proceres Saadii est liber, a Gentio traduntur. Quid homines sortis minus excelsae?

Illi quidem, de Persis loquor, in calidae potionis tabernis Saadii et Hafesi, qui persicae poeseos alterum lumen est, intento animo carmina meditantur. *Considentium is, qui libro (Saadii aut Hafesi) instructus est, epiphonema attentis sociis praelegit, mox librum claudit, ut meditandi spatium indulget: tum lectionem iterat, interposita subinde ad meditandum mora; donec interveniat, quod lectionem interrumpat, vel dissolvat consessum.* Ita KAEMPERUS Amoenit. Exoticar. Faseic. 2, Relat. 7, § 3.

(2) Non haec (teste Chardino, *Voyag. en Perse* tom. 3, pag. 143), de vestigis Eliae eo loci impressis increbuit opinio apud Persas, quod ibi sacrum vatem moratum esse, aut morari arbitrentur; sed quod vita functus, sic enim putant, interdum se illo ex monte miraculo attonis vindendum praebuerit.

(3) Poena capituli interdictum esse, ne quis ex eo lacu pisces attingat, deque hoc valde sollicitos esse Dervisios, quibus assurgit prope Saadii sepulcrum domus, narrat THEVENOTIUS *Suite de Voyage au Levant* Part L. 1 C. 2. Qui tamen soluti animum religione erga Saadium ex aliis illuc regionibus accedunt, ferocem Dervisorum sollicitudinem aliquando fallunt; corruptoque per pecuniam villico, qui horto ac lacu a Dervisis praeficitur, gratum sibi ex illis piscibus obsonium parant. Bene ac lepide techna eiusmodi successit Chardinio ut ipse meminit loco cit., sed valde infelicitate, ut idem testatur, eidam Armeno, qui haud conciliato sibi numeris villico suffurari clanculum eos pisces est ausus. Deprehensus enim in ipso flagitio, totaque usque ad tribunal via fustibus inequentium contusus ac laer, a Praetore irarum ac cupidatis pleno, poenam duplcem tulit. Coactus nimirum est illico nummos ei scutatos centum solvere; eiusdemque iussu postero die in pedum plantis, unde sensus doloris toto corpore acerbitus excitatur, verberibus est trecentis affectus. Tam magno ibi stat saadianos pisciculos concupiscere!

SAADII PERSICI POETAE FABULAE

(LATINE VERTIT F. GUADAGNI)

I. LYNX PERSICA.

*Subiecti monent versus, ira turgidum
Ne adire sit cupido summatem virum.
Persidem colit Lyncis pusillae genus,
Quadrupedantum quae belluarum arbitro
Leoni officium solers impendit. Suo
Namque ei labore praedam vestigat cava
Per antra et lucos; mox deprensam, potest
Quo ulcumque indicio, regi demonstrat, canum
Vis fida ut nobis assolet venantibus.
Ast ea Lynx intervallis quam longissimis
Praecurrit dominum. Rogavit quidam: obsecro,
Quid regem non accidis, ut in intimis
Is te habeat, ac pro meritis, perspecta et fide,
Aulae inter comptos administros niteas?
Lynx contra: Ni colligeret facile iram Leo
Corde aestuante, ac protinus effunderet,
Dentibus obterendo quicumque minus
Vel nutu quodam, quodam vel facto placent,
Adirem, circumstarem lubentissime.*

II.

TAPETUM ET VEXILLUM MILITARE.

*Hoc etiam discas, cura graviore affici
Qui summa petunt, quam qui in imo resident.
Tapeti quem premebant substratum pedes,
Vexillum invidit militare (Adrepere
Queis non pectoribus audeat invidia,
Si vel inanimis virus inspirat suum?)
Ille quod certo domi maneret loco
Puellas inter, bellos inter pueros,
Nulli calcandus unquam impuris soleis;
Haud ferret pluviam, haud solem, haud ventos turbines,
Haud iras bellatorum furentum; sibi
Quae assidue perpetienda dolebat. Luis,
Tunc Tapes inquit, poenas arrogantiae,
Qua tete iactas. Nempe gaudes frivolis
Auris, turgentem laxas atque illis sinum,
Et vertice laces sis erecto polum.
Ast ego iacere humi non duco probrum,
Nil posco mihi; mihi nihil arrogo.
Moribus istis empta haec est securitas.*

III.

MAGNIFICENTIA SEPULCRI RES INANIS.

*Inter pueros, quorum alter dives opibus,
Alter erat in pannis et inopia,
Decesseral mature quibusque pater,
Ortum est iurgium, ut solet illi aetatulae.
Dives sic increpare: Tun' mecum? At vide
Quam secus iacent nostri parentes. Meo
Marmora sunt advecta ex oris ultimis;
Exciseaque columnae. Sepulcro decus
Opera tessellata addunt, et aureae,
Quae viri nomen, gesta et produnt, litterae.
Estne honor patri adsimilis impensus tuo?
Adspersus iacet vix pugillo pulveris.
Aemuli fastum ioco contundens puer
Pauperculus haec contra: Longe est melius
Parenti meo, cui, in caelum ut evadere
Cito contingat, nil moram ingratam facit,
Dum levissimum quid sustinet tegminis,
Quam patri tuo, grave qui pondus sustinet,
Mole et tardatur tanta, ne Olympum petat.*

IV.

VULPIS FUGIENS.

*Calamitosa est res criminis argui,
Iniustam dicam licet impingant. — Gravi
Exanimata metu vulpis celerabat fugam.
Quo ruis? Cor prærepidum cur salit tibi?
Sic percontanti vulpis: Circum omnia boant
Vasto tumultu, dum servitii laqueos
Agresti venatores camelō parant.
Inde mihi timor iste meus ac præceps fuga.
— O te minorem cerebro! O vulpeculam
Blennorumque et buccorum stolidissimam!
Quid tibi cum camelō? Quam non geminae!
Quam tu distantis formae, molis, indolis!
— Tace, inquit sagax animal: mī infestus homo
Si falsam rem distulerit de industria,
Nocendi et studio, me camelum dixerit,
Insiliet in me statim venantium globus;
Et, credo, aut nunquam me dimittent cavea,
Aut sero nimium reserabunt ostium.*

EX ITALIS URBIBUS

Antonio Manno historico tributi honores.

Augusta Taurinorum tota est in honoribus dcernendis **Antonio Manno**, viro clarissimo inter Regni senatores adlecto, ob eius quinquagesimum matrimonii annum cum Heleonora Cordero ex comitibus de Vonzo in Subalpinis.

Ipse enim, Iosephi filius, paternis vestigiis insistens, multa praeclaris virtutibus nitentia volmina edidit, quae ad illustrandam Subalpinorum praesertim historiam spectant. Mirum sane qua arte, qua caritate in suos quid in eorum decus cerneret, nullo intermisso labore, in unum corpus collegit, una animis voluntate, ut suus honor cuique foret. Si pater inclaruit historia *de Sardis*, atque sapido illo volumine *De verborum fortuna conscripto*, filius haud morituram sibi gloriam comparavit plurimis libris, quos ad enucleandam hanc vel illam Subalpinorum rerum notitiam, data occasione, composuit. Eius volumina, gravitate iudicii atque acerimo documentorum studio inquisita, magnis doctorum laudibus accepta, unicuique sapienti maxime semper adprobata fuerunt.

Quapropter omnes huiuscemodum clarissimi viri amici audatoresque hanc faustum quinquagesimi anniversarii eius coniugii nacti, ut in communem familiarium laetitiam quod intimius in aedibus inter filios atque nepotes fieri consuevit, una simul convenerunt ut complura erederent in eius laudem et coniugis, quae, tot virtutibus praedita, hilaritatem semper domi continuit filiosque mirum in modum ad patriae decus ornamentumque educavit et aluit.

Cum multis illis, qui clarissimum virum amoris gratia honorisque scriptis his diebus decoraverunt, *Vocis Urbis* scriptores, laeti et ipsi atque alacres, Ei, cum coniuge eius prudentissima, omnia fausta in aevum ominantur.

SUBALPINUS.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Equis albis procedere

Ubi quem aliis quapiam in re longe superiore significabant, longoque anteire intervallo, eum albis equis procedere Latini dicebant, vel quod antiquitus equi albi meliores haberentur, vel quod victores in triumpho albis equis vectari solerent, vel quod albi equi fortunatiores et auspiciatiores esse crederentur, ut ad equestre certamen referamus metaphoram. Quod quidem indicat Appuleius, quum ait: « Postquam ardua montium et rorida cespitem et glebosa camporum emersi, me equo indigena peralbo ve-

hens, iam eo quoque admodum fesso ». Neque enim temere addit: « vel indigena »; id est « Thessalico vel albo »; nam utrumque pertinet ad emphasis pernicitatis. Horatius in *Sermonibus*, de Persio quadam:

*Durus homo, atque odio qui possit vincere regem
Confidens, tumidusque adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.*

Erant autem Sisenna et Barrus homines quidam insigni maledicentia; etiam si Aeron barros legit ut sit epitheton. Neque dissimile huic Plautinum illud in *Asinaria*: « Nam, si huic occasione tempus sese subterduxerit, nunquam aedepol albis quadrigis indipiscet poeta ».

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Rituum.

Circa « Motum Proprium » SSmi. « De diebus festis » (1).

SSmus. D. N. Pius PP. X, nonnullorum Antistitum votis clementer deferens, per decretum *Urbis et Orbis* a S. Rituum Congregatione vulgatum d. xxiv mens. Iulii MCMXI, valitum etiam pro Familia Regularibus et Ecclesiis, ritu latino a Romano diverso utentibus, et firmo remanenti *Motu proprio* de quo supra quoad reliqua Festa, statuere et decernere dignatus est, ut:

I. Festum Natale S. Ioseph, die 19 Martii, sine feriatione et sine Octava, sub ritu duplici primae classis recolatur, adhibito titulo: *Commemoratio Solemnis S. Ioseph Sponsi B. M. V., Confessoris.*

II. Festum Patrocinii eiusdem S. Ioseph Dominica III post Pascha, sub ritu duplici i classis cum Octava, addita Festi primarii qualitate, recolatur sub titulo: *Solemnitas S. Ioseph, Sponsi B. M. V., Confessoris, Ecclesiae Universalis Patroni.*

III. Diebus infra Octavam et die Octava Solemnitatis S. Ioseph adhibetur Officium, uti prostat in Appendix Octavariorum Romanorum.

IV. Festum Sanctissimae Trinitatis, Dominicæ I post Pentecosten affixum, amodo sub ritu duplici primæ classis recolatur.

V. Festum SSmi. Corporis Christi celebretur, absque feriatione, sub ritu duplici primæ classis et cum Octava privilegiata, ad instar Octavae Epiphaniae, feria v post Dominicam SSmae. Trinitatis, adhibito titulo: *Commemoratio Solemnis Sanctissimi Corporis Domini Nostrí Iesu Christi.*

VI. Dominica infra Octavam huius festivitatis, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, recitato Officio

(1) Cfr. num. sup.

cum relativa Missa de eadem Dominica, unica Missa solemnis cani potest, uti in festo, cum *Gloria*, unica Oratione, Sequentia, *Credo* et Evangelio S. Ioannis in fine. Ubi vero non adsit Missae Conventualis obligatio, addatur sola commemorationis Dominicanae sub distineta conclusione, eiusque Evangelium in fine. Hac vero Dominica peragatur solemnis Processio cum SSmo. Sacramento praescripta in Caeremoniali Episcoporum, lib. II, cap. XXXIII.

VII. Feria VI post Octavam celebretur, ut antea, Festum Sacratissimi Cordis Iesu, sub ritu duplici primae classis.

— Per decretum d. XXVIII eiusdem mens. Iulii eadem S. Congregatio haec insuper statuit et declaravit:

I. Quum Festum Nativitatis S. Ioannis Baptiste in posterum celebrandum sit Dominica immediate anteecedente festum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac proinde duae Octavae simul ocurrere possint; hoc in easu agatur Officium de Octava Navitatis S. Ioannis cum commemoratione Octavae SS. Apostolorum.

II. Vigilia Nativitatis S. Ioannis Baptiste affigatur Sabbatho ante Dominicam quae praeceedit Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli. Quando in hoc Sabbatho simul occurrant Vigilia Nativitatis S. Ioannis et Vigilia SS. Apostolorum, fiat Officium de prima cum commemoratione alterius in Missa tantum. Si vero in hoc Sabbatho incidat Festum sive Officium ritus duplices aut semiduplicis, nona lectio erit de Vigilia Nativitatis S. Ioannis, et in Missa fiat commemorationis utriusque Vigiliae.

III. In Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, in easu praecedenti, dicatur post Nonam Missa da Vigilia Nativitatis S. Ioannis cum commemoratione Vigiliae SS. Apostolorum. Si vero ocurrat festum IX lectionum, dicantur duae Missae Conventuales, una de Officio currenti post Tertiam, altera de Vigilia Nativitatis S. Ioannis post Nonam, cum commemoratione Vigiliae SS. Apostolorum.

IV. Si Festum Nativitatis S. Ioannis Baptiste incidat in diem 28 Iunii, secundae Vesperae integrae erunt de hac solemnitate, cum commemoratione sequentis festi SS. Apostolorum, iuxta Rubricas.

V. Quum ex Decreto *Urbis et Orbis* diei 24 Iulii 1911 ad instar Octavae Epiphaniae sit privilegiata Octava Commemorationis solemnis Sanctissimi Corporis D. N. I. C., infra hanc Octavam prohibentur etiam tum Missae votivae pro sponsis, tum Missae cum cantu de Requie pro prima vice post obitum, vel eius acceptum nuntium; die vero Octava prohibentur Missae privatae de Requie, quae die, vel pro die obitus alias cum exequiali Missa permittuntur.

VI. Missa cum cantu de Requie die, vel pro die obitus, aut depositionis, praesente, insepolto, vel etiam sepulto, non ultra biduum, cadavere, vetita est in sequentibus Festis nuper suppressis, nempe Commemorationis solemnis Sanctissimi Corporis Christi, Annun-

tiationis B. M. V., Commemorationis solemnis S. Joseph, et Patroni loci.

VII. Item praedicta Missa inhibetur in Festis Solemnitatis S. Joseph, Sanctissimae Trinitatis, et in Dominica in quam transfertur solemnitas externa Commemorationis SSmi. Sacramenti.

Ex Commissione Pontificia de Re Biblica.

De auctore, de tempore compositionis et de historica veritate Evangelii secundum Matthaeum.

Propositis sequentibus dubiis Commissio Pontificia «de Re Biblica» ita respondendum decrevit die XIX mens. Iunii MCMXI:

I. Utrum, attento universalis et a primis saeculis constanti Ecclesiae consensu, quem luculenter ostendunt diserta Patrum testimonia, codicum Evangeliorum inscriptiones, sacrorum librorum versiones vel antiquissimae et catalogi a Sanctis Patribus, ab ecclesiasticis scriptoribus, a Summis Pontificebus et a Conciliis traditi, ac tandem usus liturgicus Ecclesiae orientalis et occidentalis, affirmari certo possit et debeat Matthaeum, Christi Apostolum, revera Evangelii sub eius nomine vulgati esse auctorem? — *Resp.* Affirmative.

II. Utrum traditionis suffragio satis fulciri censenda sit sententia quae tenet Matthaeum et ceteros Evangelistas in scribendo praecessisse, et primum Evangelium patro sermone a Iudeis palaestinensibus tunc usitato, quibus opus illud erat directum, conscripsisse? — *Resp.* Affirmative ad utramque partem.

III. Utrum redactio huius originalis textus differri possit ultra tempus eversionis Hierusalem, ita ut vaticinia quae de eadem eversione ibi leguntur, scripta fuerint post eventum; aut, quod allegari solet Irenaei testimonium (*Advers. haeres.*, lib. III, cap. I, n. 2), incertae et controversae interpretationis, tanti ponderis sit existimandum, ut cogat reiicere eorum sententiam qui congruentius traditioni censem eamdem redactionem etiam ante Pauli in Urbem adventum fuisse confectam? — *Resp.* Negative ad utramque partem.

IV. Utrum sustineri vel probabiliter possit illa modernorum quorumdam opinio, iuxta quam Matthaeus non proprie et stricte Evangelium composisset, quale nobis est traditum, sed tantummodo collectionem aliquam dictorum seu sermonum Christi, quibus tamquam fontibus usus esset alius auctor anonymous, quem Evangelii ipsius redactorem faciunt? — *Resp.* Negative.

V. Utrum ex eo quod Patres et ecclesiastici scriptores omnes, imo Ecclesia ipsa iam a suis incunabulis, unice usi sunt, tamquam canonico, graeco textu Evangelii sub Matthei nomine cogniti, ne iis quidem exceptis, qui Mattheum Apostolum patro scripsisse sermone expresse tradiderunt, certo probari possit ipsum Evangelium graecum identicum esse quoad substantiam cum Evangelio illo, patro sermone ab eodem Apostolo exarato? — *Resp.* Affirmative.

VI. Utrum ex eo quod auctor primi Evangelii scopum prosequitur praecipue dogmaticum et apologeticum, demonstrandi nempe Iudeis Iesum esse Messiam a prophetis praenuntiatum et a dävidica stirpe progenitum, et quod insuper in disponendis factis et dictis quae narrat et refert, non semper ordinem chronologicum tenet, deduci inde liceat ea non esse ut vera recipienda; aut etiam affirmari possit narrationes gestorum et sermonum Christi, quae in ipso Evangelio leguntur, alterationem quamdam et adaptationem sub influxu prophetiarum Veteris Testamenti et adultioris Ecclesiae status subiisse, ac proinde historicae veritati haud esse conformes? — *Resp.* Negative ad utramque partem.

VII. Utrum, speciatim solido fundamento destitutae censeri iure debeant opiniones eorum, qui in dubium revocant authenticitatem historicam duorum priorum capitum, in quibus genealogia et infantia Christi narrantur, sicut et quarumdam in re dogmatica magni momenti sententiarum, uti sunt illae, quae respiciunt primatum Petri (Matth., xvi, 17-19), formam baptizandi cum universalis missione praedicandi Apostolis traditam (Matth. xxviii, 19-20), professionem fidei Apostolorum in divinitatem Christi (Matth. xiv, 33), et alia huiusmodi, quae apud Matthaeum peculiari modo enuntiata occurrrunt? — *Resp.* Affirmative.

Rationis periclitandae doctrinae Candidatorum ad Academ'cos Gradus in S. c. Scriptura, pars altera (1).

DE IPSIS EXPERIMENTIS

1) AD CONFERENDUM PROLYTATUM

Art. I. — De periculorum tempore deque petitione a Candidatis facienda.

1. — Candidatis ad Prolytatum, itemque ad Lauream, probandis duplex habetur iudicium sessio, mense Novembri et mense Iunio, id est ineunte et exeunte anno scholastico.

2. — Candidati petitionem Rmo. Consultori ab Actis exhibeant et quidem ante finem mensis Iunii, qui volunt in sessione prima periculum doctrinae facere; ante finem Aprilis, qui in altera.

3. — In petitione Candidatus, praeter nomen, cognomen, domicilium suum, indicet etiam ubi et quo die ad sacerdotium sit promotus, atque ubi et quo die sacrae Theologiae lauream consecutus. Idem petitioni litteras commendatitias adiungat Ordinarii sui vel, si e religioso ordine institutove sit, antistitis manu subscriptas. Horum autem documentorum inspectionem sibi Pontificia Commissio reservat.

4. — De diebus periculorum destinatis Candidati tempestive certiores fiunt.

Art. II. — De lingua in experimentis adhibenda. Experimenta iis, qui Prolytatum petunt — item qui Lauream — latine danda sunt; nisi cui alia lingua permittatur uti.

(1) De parte I cfr. *Vox Urbis* an. xiv (MCMXI) n. iv pag. 59 et seq.

Art. III. — De experimentis scriptis.

1. — Experimentum scriptum complectitur: a) Dissertationem exegeticam de textu aliquo Evangeliorum vel Actuum; — b) Scriptionem de quopiam argomento ex historia biblica iuxta materiarum indicem in adnexo folio descriptum; — c) Scriptionem de aliquo argomento Introductionis generalis vel specialis ibidem pariter assignato. Ad hanc geminam scriptionem conficiendam bis tres horae conceduntur; sex autem ad dissertationem, cui propterea duplex tribuitur valor.

2. — Dissertatione et scriptiones sunt sine cuiusvis libri adminiculo conficiendae, praeter Scripturae textum et concordantias, quorum exemplar cuivis Candidato ab ipsa Commissione, sed pro dissertatione exegistica dumtaxat, traditur.

3. — Quod attinet ad modum argumentum exegeticum tractandi, magna relinquitur Candidatis libertas. Sciant tamen ab iis non requiri oratoriam quamdam amplificationem; sed tractationem scientia et ratione confectam, quae litteralem scilicet expositionem propositi textus exhibeat, cum conclusionibus doctrinalibus, comparatione locorum consimilium, interpretatione praecipuarum variarum lectionum, explanatione antilogiarum, quae vel inter textum et versiones, vel inter eiusdem textus locutiones occurrant.

Art. IV. — De experimentis quae viva voce fiunt.

1. — Verbis Candidatus unum pluresve locos Evangeliorum, Actuum, Epist. ad Romanos et II Epist. ad Corinthios graece, atque unum pluresve locos librorum Regum hebraice ex tempore interpretari debet.

Praeterea de historia Antiqui et Novi Testamenti; de Instructione speciali; de quaestionibus Introductionis generalis in memorato indice assignatis; demum ad iudicium arbitrium, de argomento in scriptionibus evoluto, interrogatur.

2. — Experimentum quod voce fit duas complectitur horas, id est bis semihoram pro parte graeca et hebraica, et ter viginti momenta pro altera.

Art. V. — De notis seu punctis deque conditionibus ad successum requisitis.

1. — Singulis utriusque experimenti partibus aequalis tribuitur punctorum numerus, id est viginti, quae tamen puncta in experimento linguae hebraicae et graecae, necnon dissertationis exegeticae duplum valorem habent.

2. — In qua materia Candidatus duodecim puncta tulerit, in ea se satis iudicibus probasse sciat.

3. — Ad felicem exitum utriusque experimenti requiritur, ut Candidatus ad mensuram modo descriptam in singulis materiis bene responderit.

4. — Qui eam mensuram in singulis materiis experimenti scripti non attigerit, ad tentandum orale experimentum non admittitur.

5. — Qui vero felicem exitum in scriptis habuit, etsi in experimento verbali deficiat, ei experimentum scriptum iterandum non est.

6. — Nemo experimentum eius materiae iterare debet, in qua sedecim puncta tulit, nisi in materiis plus duabus ceciderit, aut in duabus, quae ad eamdem experimenti partem pertineant, scilicet ad utramque linguam hebraicam et graecam, vel ad alias experimenti materias.

7. — Qui iterato experimento, sive scripto sive verbali, iterum cecidit, pericula nunquam postea tentare sinitur. Iterare autem experimentum nisi in sequenti aliqua sessione non licet, salva speciali venia ab Eminentissimo Cardinale Praeside impetranda.

8. — Qui in utroque experimento sic se probavit, ut, partitione punctorum facta, tres quartas summae partes retulerit, is ius ad honorificam sui mentionem acquirit.

Art. VI. — De expensis a Candidatis faciendis.

1. — Candidati ante experimentum summam centum et viginti libellarum solvere tenentur, centum scilicet pro ipso experimento et viginti pro diplomate aliisque necessariis sumptibus.

2. — Candidatis quibus experimentum haud bene successit, summa septuaginta libellarum restituetur, quod si in scriptis satis fecerint iudicibus, non eis restituentur nisi libellae viginti.

3. — Qui experimentum verbale iterum tentant, sive ex integro, sive ex parte, solvant viginti libellas pro diplomate aliisque expensis et insuper libellas decem pro singulis experimenti materiis.

(*Ad proximum numerum.*)

DIARIUM VATICANUM

(Mense Augusto MCMXI).

Coram SSmo. admissiones.

Nimio tempestatis aestu defatigatus, atque podagrae doloribus in genu dextero cruciatus, SS. D. N. Pius PP. X, per fere omnem Augustum mensem, medicorum et intimorum suorum consilio, admissiones coram se intermisit.

Pontificiae electiones.

Provisio ecclesiarum. — Per decreta S. Congregationis Consistorialis SSmus. has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Cathedrali ecclesiae Achadensi praefecit sacerdotem Patitum Morrisroe, decanum disciplinae in collegio Maynoothiano; Cathedrali ecclesiae Dallasensi sacerdotem Iosephum Patritium Lynch, eiusdem dioecesis, rectorem ecclesiae S. Eduardi in urbe Dallas; Cathedrali ecclesiae S. Agathae Gothorum rnum, Alexium Ascalesi, hactenus episcopum Muranum; Cathedrali ecclesiae Zamboangensi sacerdotem Michaelem O' Doherty, dioecesis Achadensis, rectorem collegii Hibernorum penes urbem Salamanicam; Cathedrali ecclesiae Natchetensi sacerdotem Ioannem E. Gunn, Societatis Mariae, rectorem ecclesiae

saintissimi Cordis Iesu in civitate Atlanta, dioecesis Savannensis; Titulari ecclesiae episcopali Comanensi rnum. Raphaelm Sandrelli, hactenus episcopum Burgi S. Sepulchri; Titulari ecclesiae episcopali Scillitanae sacerdotem Ramirum Fernandez y Valbueno, archidioecesis Toletanae, ibidem canonicum poenitentiarum metropolitanae ecclesiae, quem constituit Auxiliarem Emi. Cardinalis Iosephi Maria Martin de Herrera y de la Iglesia, archiepiscopi Compostellani.

Brevi autem Apostolico r. d. Ioseph Maria Aloysius Henricus Bigolet e Seminario Parisiensi pro Missionibus ad exteriores gentes, Episcopus titularis Antiphrarum et Coadiutor cum iure successionis r. p. d. Petro Mariae Gendreau, Vicario Apostolico Tom-kim occidentalis, electus est.

Nominationes Praefectorum Apostolicorum. — Decreto S. Congregationis de Propaganda Fide nominati sunt: r. p. Fulgentius a Gerardo Montes, ex Ordine Minorum S. Francisci Capulatorum, Praefectus Apostolicus de Ubangi Bellico, et r. p. Aemilius Callawaert, e Congregatione S. Spiritus, Praefectus Apostolicus de Katanga Septentrionali.

Vita functi viri clariores.

Die vi mens. Augusti in castro Kranichberg ad Gloggnitz, Eminentissimus **Antonius Iosephus Gruscha**, Archiepiscopus Vindobonensis, Sacri Purpuratorum. Patrum Senatus Nestor. Humili genere natus erat Vindobonae an. MDCCXX, fuitque vir magni animi et consilii, scientia atque industria caritatem insignis.

— d. xv Sydney in Australia Purpuratus Pater **Franciscus Patritius Moran**, illius Metropolitanae Ecclesiae Archiepiscopus, Leighlinbridge in oppido natus an. MDCCCXXX. Romae in Hybernorum collegio institutus fuit et Hebraicam linguam in Urbano collegio de Propaganda Fide docuit. Albensis episcopus electus an. MDCCCLXXI et ad Australiae metropolitanam promotus an. MDCCCLXXXIV, Cardinalis S.R.E. dictus est in Concistorio d. xxvii mens. Iulii MDCCCLXXXV, titulo S. Susanne ad Thermas.

ANNALES

Mauritanae res.

Inter dubia, quae Mauritana quaestio, ad aeternitatem spectans, quotidie obiicit, id etiam fuit, fo ut alius «internationalis» conventus congregaretur, qui profecto eius solutionem retardaret, immo difficiliorum redderet. Huiusmodi vox ex obstaculis proficere videbatur unde discriminis inter Germaniam et Galliam directa compositio impediretur, et timore etiam, ne ipsa compositio Algecirense foedus ita immutaret, ut ad eam confirmandam omnium civitatum, quae foederis eiusdem participes fuere, interventus requereretur. Novissimi vero nuncii contrarium fidem induxerunt: quamvis enim lata ora, ut ita dicam, intercedat adhuc inter privilegia a Germania petita et ea quae Galliae mens est concedere, de praecipuis tamen ex compacto agitur; quod si utrinque bona voluntas accesserit, partes non sine magna difficultate in omnibus denique convenient.

PER ORBEM

Balkanicum discrimen.

Turcarum imperium superatam omnino putat atque declarat Albanensium seditionem ob Melissores tandem spon'e subiectos, et perfugas ex Nigro Monte, quo confugerant, in patriam reversos. Non timet equidem Myrditarum rebellionem nondum sedatam neque crabrones a se proximis hisce diebus irritatos; Cretenses incolas dicimus, quos ipsa publice atque inconsulto de novis conatibus accusavit ad optatam cum Graecia matre unionem tandem aliquando assequendam. Prudentia tamen civitatum insulae tutelam habentium aquam igni extinguendo parem statim induxit.

Ex Lusitania.

Nova in Lusitania constitutione rata habita, in qua, inter multa inter se contradicentia et cum aequitate palam pugnantia, capitis poena omnesque aliae, quae corpus affligerent, abrogata sunt, vetitumque tum opificibus ius ab operibus ex condicto recedendi, tum dominis contra operariorum arrogantiam concludendi ex consulto officinas, ac denique statutum ut reipublicae praeses quarto quoque anno plenis publicorum legatorum comitiis eligeretur, ad hoc munere fungendum vocatus est Emmanuel de Arriaga, vir antiquae fidei popularis, iuris peritus insignis et probabilis poeta. Aequo etiam animo eum esse affirmant, quod tamen ex eius gestis comperiemus.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
legibus ferendis

In **Anglia** lex de finibus circa iura populi legatorum et procerum definienda tertio adprobata, discrimenque inter utrumque coetum tandem compositum.

In **Bulgaria** ad mensem Octobrem nova comitia indicta.

In **Hungaria** lex de re militari adhuc agitatur, frustra adversariis administratorum collegium omni ratione provocantibus.

In **Perside** non humana profecto lege, merces ei decreta, qui caput Mahamed Ali, Caesaris quandam ad imperium recuperandum nunc satagentis, abscessum sit allaturus.

Die II mens. Augusti MCMXI Germanorum iuvenum globus, in athenaeis studiis vacantium, Italiam peregre prosectorum, Romam advenit a collegis Urbani athenaei festive acceptus.

— d. III Annecii, a duobus Purpuratis Patribus, Episcopis viginti atque advenarum viginti millibus in novum cathedrale templum reliquiae Sanctorum Francisci Salesii et Ioanna de Chantal sollemni pompa transferuntur.

— d. IV Reinold Begas, Teutonum sculptorum Nestor, Berolini obit.

— d. V Frey aviator, a collapsu in Ciminis montibus sanitati restitutus, Ronciglione oppidum, ovantibus civibus et gratulantibus, relinquit, et in Galliam suam redit.

— d. VI Valentiae castrum corruit, domus aliquot circum earumque habitatores nonnullos misere sepeliens.

— d. VIII ad Tarentum ignescentis pulveris depositum ex improviso incenditur, immenso quidem fragore, at nulla hominum iactura.

— d. IX Teutonum catholicorum annuus conventus Moguntiae congregatur, cuius in partem quingenta millia hominum veniunt.

— d. XI La Vallène, in oppido Alpium maritimorum, vita fungitur Henricus von Poschinger historicus, Bismarckii, viri illius civili prudentia ornatissimi, familiaris.

— d. XII loricata Italorum navis, cui nomen a S. Georgio, in submarinos scopulos Neapolitani sinus offendit lateque diffinditur.

— d. XIII Basileae ferriviarum statio incendio diruitur.

— d. XIV incendia pariter nunciantur per Belgarum lucos violenter saevire.

— d. XV ad Haghia Triada, Cretensis insulae oppidum, pervetustam Minoicae aetatis urbem archaeologica Italorum missio reperit, eiusque vestigia luci restituit.

— d. XVI Edmundus Rostand, Gallicus ille poeta valde celebratus, in automobilis currus fortuito casu graviter ad Cambo oppidum vulneratur.

— d. XVII in Anglia operariorum magnae turbae ex condicto a laboribus se abstinentium tumultus passim excitant, quos militari manu cohibere oportet.

— d. XVIII Chicagine ex urbe nuntium pervenit Badger et Johnstone aviatores mortem infelici fato obiisse.

— d. XIX Italica speculatoria navis *Quarto* prospera in mare Venetiis immittitur.

— d. XX quies, ab opificum desertionibus turbata, per Angliam omnem restituitur.

— d. xxii Leonardi da Vinci praclarum opus, *Iucundae* sive *Elisae matronae* nomine cognitum, ex Louvre museo ad Lutetiam Parisiorum, ubi asservabatur, furto subripitur.

— d. xxiii noctu coorta tempestas ac caeli ruina per Longobardos lacus et vallem Tellinam immensam tum rerum, tum hominum ruinam apparet.

— d. xxiv « internationalis » lingua et auribus captorum conventus Romae habetur.

— d. xxv Bienen, in oppido ad Posen, dum sacrae supplicationes habentur, templi pars delabitur octoginta circiter fideles in ruinas trahens, quorum viginti tres cadavera extrahuntur, sexaginta vulnera passi.

— d. xxvi ad Schgvalleg oppidum curruum series vapore actorum, ferreis axibus suo loco improviso semotis, e ponte quodam in praeruptum praecipitat cum multa viatorum caede.

— d. xxvii novae ex opificum desertionibus rebelliones ex Anglia nunciantur.

LIBRORUM RECENSIO

FRANCISCI XAV. REUSS, Sac. e Congr. SS. Redemptoris, *Tentamina poetica*. Romae, typis Cuggiani, MCMXI. — (Vol. in 12, pag. 368. — Pret. lib. 2, 50).

Auctor ille, lectoribus nostris iamdiu cognitus, nuperrime sub hoc titulo in unum collegit volumen carmina centum, quae varias per occasiones separatim ediderat. Quo in libro non aliena refert poemata, latine tantum a se redditia — uti fecerat ante in *Carmenibus S. Alfonsi M. de Ligorio*, et in *Fabulis selectis Ioannis La Fontaine* — sed fructus exhibet suomet in horto satos atque enatos.

Quae quidem carmina « Vox Urbis » fere omnia in suis iam vulgavit columnis. Nunc tamen emendationia prodeunt passimque retractata, ac praeterea certo ordine disposita: divisa nempe in partes quatuor, quarum prima complectitur *Carmina praem' vel laude ornata*; secunda, *Carmina sacra*, ceteris frequentiora; tertia, *Carmina gratulatoria*; postrema tandem, *Carmina de variis argumentis*.

Hunc librum auctor, habita prius venia, Pio X Pontifici Maximo versibus hisce Catullianis dedicavit:

*I nunc, parve liber, meosque versus,
quos (tironis opus) sinu recondis,
offer, munus inops, Patri benigno,
orbis quem DECIMUM PIUM salutat.
Dices: « Ecce Tibi corolla florum,
quos non texuit ars, nec educavit
hortus nobilior, sed imperitus
carpsit de mediis viator agris ».*

*Supplex inde Patrem rogabis ut te,
ut me salvificae Crucis notare
signo ne renuat, pieque nobis
quidquid laetificum sit, adprecetur.*

Christi autem Vicario acceptum fuisse oblatum volumen, Pontificia significat Epistola auctori remissa, quae quidem sic sonat:

Dilecte Fili,

*Redditum est Nobis sane libertibus volumen, quo tu i
conclusisti TENTAMINA POETICA: sic enim placuit mo-*

*destiae tuae latina poemata inscribi, quae tu multi et
varia per occasionem edideras. Evidem novimus horum
carminum magnam partem: plura enim in dies Nobis
faustos condidisti; alia, ut condideras, Nobis muneri
mittebas: ex eis vero non te tironem aut rudem esse in
hoc genere intelleximus, sed limatulum politumque ac
probe vel facultate ingenit vel doctrinae elegantia in-
structum. Itaque haud aegre a Nobis impetrasti, ut id
vulgando volumen nomini Nostro dedicas. Nam, quod
rogas, ut et operi et auctori bene precemur, utrumque
facimus ex animo: ac primum longe lateque cupimus
hic vagetur liber, et religionis sanctae, qua flagrat om-
nis, igniculos iaciat. Tum tibi optamus, ut in multis
annos liceat, ut consuevisti, severiores curas studio in-
terpellare poeticæ sacrae, cuius quidem laude te florere,
alumnū Alfonsi Patris, admodum decet. Auspicem
autem divinorum munerum, tibi apostolicam benedictionem,
dilecte Fili, amantissime impertimus.*

Datum ex aedibus Vaticanis IX cal. sextiles an.
MCMXI.

PIUS PP. X.

Nos vero dum auctori socioque nostro acceptum honorem ex animo gratulamur, nostra facimus verba, quibus ille suam praefatiunculam concludit, ita scribens: « In his autem elucubrationibus id mihi potissimum proposui, ut pro mea exigua parte operam darem, ne sermonis latini usus, olim litteratis hominibus cuiusque nationis familiaris, magis magisque in desuetudinem abeat: non sine magno detimento ipsarum, quae hodie vigent, linguarum, earum praesertim, quae a latina suam dueunt originem ». Nec absonum nobis videtur consilium, a quodam gymnasii moderatore conceptum, non excludendi haec « Tentamina poetica » e delectu librorum, qui alumnis diligentioribus dono dari solent, ceu praemia anni scholastici bene peracti. Hoc enim in libro discipuli et iucunda reperient et honestissima argumenta, eaque stilo facilis venustoque tractata, qui legentium animos ad amandam et colendam puram et castigatam latinitatem sponte alliciat.

AENIGMATA

I.

*Arcanum volitat; caudam si demeris, altus
Tunc iam vi entum pectora somnus habet.*

II.

*Vox eadem signo lepore calleque latentem,
Viscera telluris qui tenebrosa secat.*

*Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretatio-
nem ad Doctorem JOSEPHUM FORNARI, Commentarii
moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96)
misericordia menses duos, unus, sortitus, gratis
accipiet opus, cui titulus:*

T. VALLAURI

HISTORIA CRITICA LITTERARUM LATINARUM.

Aenigmata an. XIV, n. VI proposita his respondent:

1) *Bellum*; 2) *Sal-Sol*.

Ea rite soluta miserunt:

Ioan. M. Meunier, *Corbiniano*. — A. C. Peltenburg, *Sotwoud ad Leiden*. — Aug. Scriban, *Iassius*. — Fr. Baturewicz, *Zydomiria*. — Ios. Wabner, *Varsaria Polon*. — Iac. Menendez, *Madrito*. — Barth. Ferraris, *Augusta Taurinorum*. — Petrus Tergestinus. — Fr. Xav. Ghion, *Ostuni*. — Alex. Pintauro, *Vine Starace, Neapol*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — Fr. Guerra, *Aletio*. — Lud. Dubois, *Massilia*. — Rich. Broudel, *Brugis*. — St. Pini; F. Arnori, *Mediolano*. — A. Bonini, *Aureliano*. — Paolinus a S. Iosepho, *Bareinone*. — Lud. Goux, *Bituricis*. — F. Waver, *Marianopoli*. — Alb. Kain, *Dublino*. — F. X. M., *Drapano*. — Ad. Kozlowski, *Petricovia*. — Frid. Horwath, *Vindobona*. — P. Prado, *Venetis*.

Sortitus est praemium:

PETRUS TERGESTINUS,

ad quem missum est opus, eai titulus:

ÉLÉMENTS D'ICONOGRAPHIE CHRÉTIENNE

par

LOUIS CLOQUET.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Editriceis Romanae.

EUPLIUS

(10)

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

SCENA VIII.

FELIX et CALVIANUS.

FELIX (*qui exit lente et observans*).

Calvianus! Cur venit frugis haec bona?
Hic occultabo; olfaciam cur venerit.
Boni refert nil, mala semper alite.
Fugit hinc Oeris per posticum rapidus,
Necem daturus... Amplius non retulit...
Dolet nescire... Salvet Euplium Deus.
Audiamus.

CALVIANUS.

Modo dixerunt obiter
Ocrim transisse, pessimum servorum genus.
Ei concreditam quid si rem dixerit?
Iuvat prudenter percunctari... Forsitan
Eum si viderit... Quid expilaverit.

FELIX (*qui se se profert*).
Tibi res prosperas deprecor a Superis.

CALVIANUS.

Vir probe, honeste, quomodo vales?

FELIX.

Bene!
(*intra se*) Felix, adverte, se serpens insinuat!

CALVIANUS.

Vidisti quemdam transeuntem propius
Ocrim, servum pessimum, vinoque deditum?

FELIX.

Is est! (*inter se*). Vidi. (*Clara voce*) Nunc, indulge-
[bat genio!
Tulisse, aiebat, magnam vim pecuniae.

CALVIANUS.

Sed unde dixit carpsisse pecuniam?

FELIX.

Quid ex ore ebrii scit quidpiam expiscarier?

CALVIANUS.

Sed...

FELIX.

Is probe est!

CALVIANUS.

Quot viros adpetentes video!
Quot clamores!

FELIX (*intra se*)

Quid secum murmurat gravis?

CALVIANUS.

Heic nollem habere sermonis arbitros,
Ipsi ne possint aliquid praesumere,
Ex mei pectoris moti imprudentia.
Scio quot corrupti vivant istoc saeculo.
Res arguunt me rectum in perniciem (*seorsum com-*
[motus.]).

FELIX (*inter se*)

Hic est qui duxit Ocrim procul dubio!
Sed illum forte adhuc per tempus distuli... (*voces*
[civium audiuntur].

CALVIANUS

Quot audio voces intus adclamantium!

Quid est? (*Intus exauditur: Io imperatori! Io Cae-*
[sari!]
Facit qui salvam gladio rempublicam).

SCENA IX.

(*Cives ingrediuntur grassantes scenam et clamantes*).

I CIVIS.

Suis sit hostibus mors, exterminium!
Vivat imperator! Vivat in saeculum!

MAXIMUS.

(*Qui turbam civium agitat, in medium prolapsus ait:*

Ad vos lubens alloquor, cives Catanae,
Semper fuistis fulcimen imperii...
Adest nunc civibus grande periculum,
Nam nostro Caesari adsunt adversarii,
Movent qui cuncta, caelum scandunt et nubila...
Hi sunt christiani, homines turpissimi!
Adorant hominem, damnatum capit...
Diis sed omnibus sint actae gratiae,
Quod ille nuper qui ducebat agmina,
Linebat affabre civibus labia,
(Peius ne proferam contra demortuum)
Huius reus criminis fassus est omnia.

CIVES.

Quis? Euplius? (*una simul inter se coll quentes*).

MAXIMUS.

Recte dixistis. Euplius!
Et ipse tradidit libros ad iudices,
Ab illis pronus postulavit gratiam...
Poenae sed morsibus pulsus disparuit.

I CIVIS.

Proh dolor! Ipse? Clarus tot virtutibus?

II CIVIS.

Pius, medebatur semper inopiae...

III CIVIS.

Data succurrebat nobis pecunia.

CALVIANUS.

Christi doctrina, tandem sic cognoscitur!

MAXIMUS.

Adhuc quid ei fidem vos servabitis?

CALVIANUS.

Iugum quod ipse vobis olim imposuit,

Quod ipse rupit, et cur vos portabitis?

Indignabundi, Catanienses, rumpite!

Quid prohibet? Nihil. Sic datis obsequium

Imperator, donis qui nos cumulat.

Erit sic civitas denuo Catana

Suo prae ceteris cordi dulcissima.

MAXIMUS.

Vobis quid videtur?

CALVIANUS.

Quod est consilium?

MAXIMUS.

Cadat odiosa Christi religio,

Rumpatur barbarum servitutis iugum!

(*Ad proximum numerum*).